

II. Quòd pii suos affari ante obitum debeant.

III. Quomodo David filium suum Salomonem tanquam regni successorem informet. Et quæ virtutes in bono gubernatore requirantur.

Divina Chri-
ste lux mihi
quo fulgeat,
Arce tene-
bras pecto-
ris.

I. Synonyma vocabula Mortis.

verf. 2. *Ego vado viam omnis terræ*) In Sacra Scriptura, multa vocabula & multæ similitudines reperiuntur, quibus, quid mori sit, significatur. David hîc mortem itinerationi comparat, & viæ quam omnis terra, id est, omnes incolæ terræ ingrediuntur. Nam de homine dicitur: Terra seu pulvis es, & in pulverem seu terram converteris. Josia sine figura dicit, se ingredi viam omnis carnis. ut Hebr. 9. dicitur: *Hoc constitutum est, &c.* Simeon mortem dimissionem, nempe è labore & molestiis, nominat.

Mori.

Ingredi viam
terræ,

Carnis.

Dimitti.

Dum autem David se ipsum quoque terram esse agnoscit, & se quoq; viam universæ terræ inire dicit: ostendit omnes etiam magnos & præstantes autoritate & virtute viros & heroas morti obnoxios esse. Abraham pater omnium credentium fuit: sed communem viam mortalium inivit. David hîc vir secundum cor DEI celebratur, 1. Sam. 13. & tamen morti obnoxius fuit. Salomon sapientissimus, Absolon pulcherrimus, Samson fortissimus à morte sunt superati. Quod ipsum & multa alia oracula

Etiam præ-
stantes & ma-
gni moriun-
tur.